



XI.1^f=Q.

(cat. 4,9-22.)

17. 25
2

**LEGES
ALUMNORUM
IN ACADEMIA ELE-
CTORALI ET DUCALI SAXO-
NICA LIPSIENSI;**

17
73

Denuò publicatæ
Anno M.DCC.XXIX.


42

4.

Euripid. in Supplic. apud Stob.
Serm. 145.

· Οὐκ ἐστὶν ἄδὲν κρεῖσσον, ἢ νόμοι πόλει καλῶς
τεθῆντες.

Denio publicatae
Anno MDCCLXXIX



ELECTORALIBUS
IN HAC ACADEMIA ALUMNIS,
DE SENTENTIA ILLUSTRISSIMÆ
CONSTITUTIONIS, ID INCUM-
BIT NEGOTII.

I.



Tatim ac recepti fuerint,
S. S. Theologiæ Studio & cæteris,
quæ illustrissima Ordinatio Stipendiatorum requirit, bona fide obligent
se, sponſione *ιδιοπαρω*, cujus formam & exemplum à Præceptore sumant : nondum adhuc Albo Universitatis inscripti apud Rectorem nomina sua mature profiteantur, dicto simul sacramento.

II.

Ut recepti stipulatò promittant Inspectoribus & Præceptori se (si nondum huc commigrarint) res suas & supellectilem allaturos intra octiduum; atque

(2

in-

inde obedientiam præstituros debitam in omnibus quæ
illustrissimi Principis constitutione exiguntur.

III.

Ut unicum quidem Theologiæ studium seriò &
constanter tractent & continent: cum eodem tamen
humaniorum disciplinarum, Philosophiæ & Lingua-
rum, Græcæ & Latinæ cognitionem, & inprimis Hebræi
sermonis conjungant.

IV.

Ut concionibus, disputationibus & lectionibus
publicis tam Theologicis, quam Philosophicis, sibi
quovis semeltri assignatis attentam & constantem ope-
ram navent,

V.

Ut Exercitia usitata Stipendiariorum tam Theo-
logica, quam Philosophica, qualia sunt Disputationum,
Declamationum, repetitionum, assiduè frequentent;
& exempla suarum exercitationum, munere concio-
nandi, declamandi & disputandi ad ipsos devoluto,
maturè Inspectori offerant, illius censuram expectan-
tes & sequentes iudicium.

VI.

Ut inprimis stylum utriusque linguæ, solutâ &
ligatâ scriptione diligenter excolant: & trimestribus
singulis argumenta sibi à Præceptoribus proposita ela-
bo-

borent, elaborata & descripta suo tempore Inspectoribus offerant, ut infra dicitur.

VII.

Ut in Collegiorum ædibus Musea sibi conducant, nec absque Inspectorum consensu mutant locum: in illis vero degant modestè, tranquillè & Collegiorum statutis ex omni parte conformiter.

VIII.

Ut, si fieri potest, contubernales adsciscant sibi tales, qui & ipsi fruuntur illustrissimâ munificentia, & diligentia modestiaque laudem habent.

IX.

Quò melius vacare queant exercitiis suis, nec aliis impedimentis avocentur, nulli absque permisso & præscitu Inspectorum & Præceptoris integrum sit, pædagogiam & famulaturam suscipere; susceptam autem obeat eo modo, ne prædicta exercitia negligantur.

X.

Ne ad primam & summam in Philosophia lauream sine consilio & assensu Inspectorum aspirent: item in nulla alia, quam in Lipsiensi aut Wittebergensi, Academia jura & privilegia Magistri, Licentiati aut Doctoris, vi clementissimi Regii Rescripti A. C. MDCC XXIX, in publicis valvis affixi, ambiant: ne, si secus fecerint, gravem pœnam in laudato Rescripto expressam sustinere cogantur.

X 3

XI.

XI.

Ne hinc aliò exspatiantur, migrentvè pro lubitu & sine veniâ, ne quidem feriarum tempore : inprimis autem ne solennium examinum & distributionum tempore subducant se, certo persuasi, nulli nisi gravissimis de causis absentî stipendium numeratum iri, priusquam ea res perscribatur ad Illustrissimum Principem. Quod si verò aliquis, quocunque sanè tempore, abeundi causam habuerit justam & gravem, indicet eam Inspectoribus & Præceptoribus coram, veniâque impetratâ ad sua studia tempore definito revertatur. Aut si ipsi extra Academiam accidat humani aliquid, ut id testimonio si-ve Pastoris, si-ve Senatûs loci ejus, in quo commoratus est, declaret.

XII.

Ut concionum in Æde Paulinâ singulis Saturni diebus à stipendiatis haberi solitarum attentum se præbeat auditorem ; qui vero concionando exercuit se, Inspectorum Theologum templo egredientem sequatur è vestigio percepturus judicium ejusdem super habitâ concione, cujus exemplum simul offerat illi. Denique universi & singuli cum aliàs semper, tum inprimis in præcipuis anni festis, in quibus tota Universitas veteri de more convenit, Musicum chorum pro viribus adjurent : Magistri quoque inter concionandum usitata subsellia, quæ sunt in mediâ templi parte, decenter & frequenter occupent.

XIII.

XIII.

Ut Novitii, quos vel ætas, vel imperitia ab habendis concionibus excusat, nihilominus privatim de propositâ materiâ meditentur aliquid, quod exhibeant Inspectoribus.

XIV.

Ut, qui alibi exercere volunt se, consciis Inspectoribus faciant hoc, neque locum exercitii capiant ultra milliare ab urbe, quo maturius ad studiorum pensâ redire queant.

XV.

Ut cum cæteris Academiae Conventibus in Paulino templo, tum imprimis in quatuor ordinariis singulorum trimestrium feriis, quibus ad DEUM preces, ad aram munus fert Academia, frequenter interfint, & sua quoque munuscula hilariter offerant.

XVI.

Ut ad distributionem secundum seriem receptionis accedant singuli, sub pœna privationis: simulque scripta cujusque semestris unâ cum dictatis lectionum assignatarum cum Theologicarum, tum Philosophicarum exhibeant interim, dum pecunia numeratur illis.

XVII.

Ut non, nisi consulto Præceptore, vocent Medicum Ordinarium: & alioquin ab immoderato pharmacorum usu sibi temperent.


XVIII.

XVIII.

Ut stipendio cessuri non propterea subducant se
examine; verum quia illis æquè ac cæteris adhuc exsol-
vitur stipendium, sistant se una cum cæteris, & absolvant
exercitia. Secus nihil exsolvetur eis.

XIX.

Ut his omnibus fideliter peractis, & jam stipendio
abeuntes, Illustrissimo Principi, Nutritio suo, Acade-
miæ, Professoribus, stipendiatorum Inspectoribus debi-
tam grati animi significationem edant coram, non per
internuncios, exhibitâ gratiarum actione & vale-
dictione soluto vel ligato scripto
comprehensâ.



Yc 6668

ULB Halle
002 639 041



3

82

13. 19. 12. 1948

V077

m.c.





Blau
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

LEGES
ALUMNORUM
IN ACADEMIA ELE-
CTORALI ET DUCALI SAXO-
NICA LIPSIENSI;

Denuò publicatæ
Anno M. DCC. XXIX.

42